



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 68. Congregationes circa reformationem disciplinæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. LXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

*Congregationes circa reformationem  
disciplinæ.*

Cum hæc interea extra Synodum gererentur, pro more Congregationes circa disciplinæ reformationem continuato studio habebantur, in quarum una Nemaufensis Episcopus de abusibus, qui ordinem spectant, verba faciens, delapsus est in sermonem de *Annatis*, ubi tametsi non negaret æquum esse, ut omnes Ecclesiæ contribuant Pontifici ad sustinendos Aulæ suæ sumptus, dicebat tamen neque modum, nec numerum in illa exactione sibi probari, & quidem hunc carpebat, eo quod satis esset, si vigesima tantum reddituum pars pendatur, nec minus modum rejiciebat, cum ad earum solutionem, nisi anno exacto, nemo cogendus sit: insuper ex eo, quod Curia Romana omnium Ecclesiarum collationibus sustentanda sit, æquum esse affirmabat, ut inde quoque aliquid utilitatis percipiatur, nec tamen tolerandum, ut ab ejus Officialibus multi abusus in orbe Christiano nascantur, hinc id a Synodo Pontifici significandum censebat, ut provideat. Postea differens de ordinatione Presbyterorum, qui Romæ initiantur, inquit, in iis nec Canones, nec

Sarp. hist.  
Conc. l. 8.  
pag. 691.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

nec Decreta observari: idcirco necessario decernendum, ut, si Presbyteri Romæ ordinati non idonei fuerint, Episcopi non obstante illa ordinatione possint eos suspendere, nec fas sit suspensis per viam appellationis, aut alterius recursus, Prælati decretum impedire.

§. LXIX.

*Sargianensis Episcopi oratio in favorem Episcoporum Titularium.*

*Sarpus l. c.* Jam antea Guadicensis Episcopi sententiam circa Episcopos titulares exposuimus, contra hunc vero in eorundem favorem Simon de Nigris Sargianensis, seu Sarfanensis perorabat, hæc affirmans: „duo in Episcopo sunt consideranda, ordo, & jurisdictio: nam „ex ordine aliud non habet, quam quod „Minister sit Sacramentorum Confirmationis, & ordinis, & constitutione „Ecclesiastica auctoritatem habeat multarum consecrationum, & benedictionum, quæ simplicibus Presbyteris „sunt prohibitæ: verum quoad juris- „dictionem auctoritate etiam gaudet „quoad Ecclesiæ gubernationem: porro „Episcopis Titularibus potestas duntaxat Ordinis est, sine jurisdictione, „adeoque non est necessarium, ut Ecclesiam quamdam habeant: si vero „antiquitus non consecraretur Episco-

„pus